

No. 158. 1245. 23. März.

B. Conrad stiftet einen Vergleich in dem Streite der Klöster St. Afra und Buch wegen des von einem Weinberge bei Meissen zu leistenden Zehntens.

In nomine domini amen. Cunradus dei gratia Misnensis episcopus universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis aeternam salutem et veram in domino caritatem. Quoniam labilis est hominum memoria, expedit, ut ea quae legitime ordinantur non solum testimoniis verum etiam privilegiorum munimine ad aeternam rei memoriam roborentur. Hinc est, quod universis tam praesentibus quam futuris volumus notum esse, quod super decimis cuiusdam vineae ante civitatem Misne sitae, quorundam virgultorum et duorum mansorum adiacentium, quos praepositus et conventus sanctae Afrae in Misna inpetentes requirebant, taliter ad nostrum arbitrium partibus utrisque consentientibus extitit concordatum, quod abbas et fratres de Bûch in restaurum earundem decimarum praeposito et fratribus sanctae Afrae duos mansos in villa Quaskewitz^a) solventes XXIII^{or} solidos iure perpetuo tradiderunt, adiicientes eis VII marcas argenti pro vexatione perpetim redimenda. Nos vero de consensu nostri capituli, praepositi et fratrum sanctae Afrae decimas de praedictis vineis sive agris cultis vel etiam colendis, quae sunt vel esse poterunt in futurum, abbati et fratribus de Bûch tradidimus iure perpetuo possidendas, statuentes ut instrumenta, si qua super his concepta fuerant vel obtenta, omnino nullam obtineant firmitatem. Sane sub interminatione anathematis districtius inhibemus, ne quis praelibatam compositionem et concordiam iuste et rationabiliter ordinatam inpetat aut infringat, alioquin indignationem omnipotentis dei et nostrae excommunicationis sententiam se noverit incurrisse. Ut igitur nulla dubietas oriatur, praesentem paginam desuper conscriptam nostro sigillo, capituli nostri, de Bûch et sanctae Afrae ecclesiarum sigillis fecimus roborari, testibus idoneis subnotatis, quorum ista sunt nomina: dominus Euerhardus abbas in Cella, Henricus praepositus maior, Petrus decanus in Misna, Vlricus praepositus de Schilov, Henricus de Lubine, Hermannus de Liznik, magister Erpho, magister Alexander, Cunradus notarius, Godescalcus canonici in Misna, et alii quam plures. Actum in Misna anno gratiae M^o.CC^o.XLV^o.IIII^o X^o Kalendas Aprilis indictione III^a. pontificatus nostri anno sexto.

Nach dem Chartul. monast. s. Afrae II. 57.

a) Questenberg, Par. St. Afra.

No. 159. 1250. 19. Mai.

Erzbischof Wilibrand von Magdeburg nimmt das Afrastift in seinen Schutz.

W. dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus omnibus praesentes litteras inspecturis salutem in Cristo. Etsi ex officii nostri debito ecclesiarum iura tueri tenemur, ad earum tamen conservationem plus astricti credimus et ligati,